Xerxes rex persarum contra greciam bellum per quinquennium instruxit. In quo bello habuit septingenta milia de regno. et trecenta milia de auxiliis. Rostratas naves mille ducentas. onerarias naves tria milia. His inter Seston et Abidon compositis. pontem navibus in Helesponto. et montem Athon incidisse. mare que admisisse fertur. Huic cum tanto exercitu in greciam venienti Leonida rex spartanorum in angustiis Thermopilarum obstitit. tantum cum IIII milibus hominum. Hanc paucitatem hominum Xerxes contemnens inniri pugnam precepit. Fit itaque per triduum continuum. non duorum pugna. sed cedes unius partis. Namque exercitus Xerxis segnior. neque ad bellum procurrere neque expeditus pugnare poterat. Quarta tandem die. ex precepto regis persae sese undique per Termopilas diffundere. grecosque circumvenire parabant. Quod videns Leonida rex grecorum. init consilium cum suis castra persarum noctu invadere. Itaque Leonida cum sexcentis tantum viris castra sexcentorum milium irrumpunt. repente ingens tumultus in castris exoritur. ipsique adiuvant grecos mutuis cedibus suis. Greci querentes regem nec invenientes sternunt omnia a principio noctis. usque ad maiorem diei partem. Tandem que cedibus lassati. inter hostilium cadaverum cumulos victores procumbunt. Secundum Xerxes bis terrestri prelio victus. contra Themistoclem alterum grecorum ducem navale prelium parat. Themistocles e contra instructam classem dirigit. bellumque commissum est. Cum anceps diu esset pugna. primi omnium Iones de bello fugierunt. Quorum fuga etiam persas continuo omnes fugere persuasit. In qua fuga trepida multe Xerxis naves capte. multe etiam merse sunt. Xerxes pudore male gestarum rerum desperatior redditus Abydum paucis proficiscitur. ad pontem quem veluti victor maris fecerat. Sed cum ipsum pontem hibernis tempestatibus dissolutum invenisset piscatoria scafa trepidus transiit.

Roma capi facilis; sed caesar in omnia praeceps
Nil actum credens. cum quid superesset agendum
Instat atrox. et adhuc quamuis possederit omnem
Italiam. extremo sedeat quod litore magnus
Communem tamen esse dolet; Nec rursus aperto
Uult hostes errare freto. sed molibus undas
Obstruit. et latum deiectis rupibus aequor.
Cedit in inmensum cassus labor. Omnia pontus
Haurit saxa uorax. montesque inmiscet harenis
Ut maris aegei medias si celsus in undas
Depellatur eryx. nullae tamen aequore rupes
Emineant. uel si conuulso uertice gauros
Decidat in fundum penitus stagnantis auerni.
Ergo ubi nulla uado tenuit sua pondera moles
Tunc placuit caesis innectere uincula siluis
Roboraque inmensis late religare catenis
Tales fama canit tumidum super aequora xerxen
Construxisse uias. multum cum pontibus ausus
(ciuitas europe) (ciuitas asie)
Europamque asie. sestonque admouit abydo.
Incessitque fretum rapidi super bellesponti
Non eurum zephyrumque timens. cum uela ratesque
(mons macedonie quem xerxes incidit per mille quingentos passuum longitudinem)
In medium deferret athon; Sic ora profundi
Artantur casu nemorum; tunc aggere multo
Surgit opus. longeque tremunt super aequora turres;
Pompeius tellure noua compressa profundi
Ora uidens. curis animum mordacibus angit
Ut reseret pelagus. spargatque per aequora bellum.
Saepe notho plene tensisque rudentibus actae

HARL 2728 27 8251506
The British Library

Hand F

COPYRIGHT
THE BRITISH LIBRARY

Hister fluvius septem ostiis in pontum influit. Quorum primum est peuce. Secundum [illegible] Tertium [illegible]. Quartum pseudostoma. Quintum borostoma. Sextum spilostoma. Septimum palustre.

Composuit mortale genus. fausq(ue) p(er) illam
Accessit mors una ratem; tu(m) linquitur hemus
Thracius & p(o)p(u)l(u)m pholoe mentita biformem;
Deseritur strimon tepido committere nilo
Bistonias consuetas aves; & barbara cone
Sarmaticas ubi perdit aquas. sparsamq(ue) profundo
Multifidi peucen unum caput adluit histri;
Misiaq(ue) & gelido tellus perfusa caico
Idalis. & nimium glebis exilis arisbe.
Quiq(ue) colunt pitanen. & que tua munera pallas
Lugent damnate phebo victore celene;
Qua celer & rectis descendens marsya ripis
Errantem meandron adit. mixtusq(ue) refertur;
Passaq(ue) ab auriferis tellus exire metallis.
Pactolon. qua culta secat non vilior hermus;
Iliace quoq(ue) signa manus. perituraq(ue) castra
Ominibus petiere suis. nec fabula troie
Continuit. phrigiiq(ue) ferens se cesar iuli;
Accedunt sirie p(o)p(u)li. desertus orontes.
Et felix sic fama ninos. ventosa damascos;
Gazaq(ue) & arbusto palmarum dives idyme.
Et tyros instabilis. pretiosaq(ue) murice sidon;
Has ad bella rates non flexo limite ponti
Certior haut ullis duxit cinosura carinis;
Phoenices primi fame si creditur ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris
Nondum flumineas memphis contexere biblos
Noverat. & saxis tantum volucresq(ue) fereq(ue).
Sculptaq(ue) servabant magicas animalia linguas;
Deseritur tauriq(ue) nem(us). perseaq(ue); tarsos.

Celene: civitas [illegible] in qua marsias victus est ab apolline & supplicio affectus a tortoribus; de cuius sanguine fluvius nomine eius natus est.

Idumea regio est. ubi aristobolus & hircanus ad pompeium venerunt. prius quam ille ierosolimam expugnaret. Ea regio est pinguissima palmarum & plurimum et balsami nutrit. Cuius inciso lapidibus [illegible] arbore stillantem lacrimam ex vulneribus colligunt.

Sciendum est lucanum hoc adhoc alludere. quod nepotes adam cum ante diluvium invenissent disciplinam celestium rerum ornatum que earum et musicam. predixit eis adam. extirminatio[nem] omnium rerum fore venturam. unam ignis impetu et alteram vi aquarum. Illi autem timentes ne dilaberentur ab hominibus. que ab ipsis inventa videbantur. duas fecere columnas. Unam quidem ex lateribus. alteram vero ex lapidibus. construentes ab ab; que invenerant conscripsere. Ut et si constructa lateribus exterminaretur ab imbribus. lapidea permanens preberet hominibus scripta cognoscere. Que lapidea diluvium evadens adhuc manet in terra siria apud fenices permanet. Unde lucanus hoc dicit. phoenices primum litteras invenisse.

Quamvis iulius cesar secundum fabulas [illegible] troianis est. non propterea continuerunt [illegible] venirent contra eum in prelia.

Ninos civitas est sirie felix dicta quod post [illegible] de finitimis gentibus per indorum [illegible] [illegible] ibique victoris titulos consecrauerit.

Tyros instabilis. aut quia fallax [illegible] [illegible] bilinguesque aut quia terre motu [illegible] propter maris vicinitatem [illegible] civitas.

Septemtriones duo sunt [illegible] cinosura [illegible] maior & minor. dicitur [illegible] [illegible] cinosura navigare [illegible] nullis est [illegible] dux quam quindo navigant.

Gaza est civitas palestine. in qua Cambises [illegible] persarum thesauros suos posuit. [illegible] [illegible] persarum enim lingua thesaurus [illegible] nominatur.

Memphis est civitas egipti. [illegible] [illegible] [illegible] in qua [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] linguas.

Ganges fluvius est. quod phison [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] paradiso [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Phoenices primi usum litterarum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] imaginem [illegible]

32
HARL. 2728 32 825150б
The British Library

Hand G